





Q. D. B. V.

DE

# PURPURA MILIARI

CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

## PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI

SOLENNITER DISSERET

JOHANNES GEORGIUS GUNTHER  
SIEGENA NASSOICUS

AD D. *XVII. Aug. A. MDCCCLXIV.*

H. L. Q. C.

---

Omen ineſt titulo, vox, purpura, ſola, tremores  
Incutit & facro percellit membra tremore.

HEBENSTREIT *Pathol. metr.* §. 13. v. 222.

---

ARGENTORATI  
EX OFFICINA UNIVERSITATIS HEITZIANA.

64  
DE  
PLURIMI MILITARI  
PATER PATRIS MEDICI  
PATER PATRIS MEDICI  
**DEO**  
**PATRIÆ**  
**PATRONIS**  
**PARENTIBUS**  
ATQUE  
**AMICIS.**



§. I.

Purpura, Graecis πύρπον, sensu lato & magis generico denotat in foro Pathologico omnes efflorescentias rubras cutaneas, febre vel mitiori vel fortiori stipatas, quoniam cutis exinde, ad instar coloris purpurei, quem ex peculiari Conchylii marinii fucco praे aliis Tyrii callebant pannis inducere, solet rubore quodam plus minusve lato & saturato superfundi quasi. Hanc licet impropiam denominationem tamen & a multis hodie receptam fuisse mirandum, cum ut plurimum color purpureus cum alio eleganti rubro, puniceo aut alio plane vulgo soleat confundi: docent hæc varia Purpuræ epitheta, dum modo miliaris, scarlatina, urticata, modo alba, crystallina, scorbutica, Purpura stricte sic dicta ab Auctoriibus recensentur. In universum omnes febres malignas ambitu suo Purpuram complecti statuit NEUCRANTZ de *Purpura C. X.* p. 122. Strictius a ROBORETO de *Febr. Petech.* & aliis soli Petechiarum symptomati tribuitur; ab aliis iterum Miliari solummodo morbo uti a FORESTO *L. VI.* Obs. 59. & 60. SENNERTO *L. IV.* de *Febr. Doctr synopt. de Febr. diss. 13. tb. 9.*

A 2

HOFF.

HOFFMANNO & MACKIO *Diss. de Purpuræ genuina origine, indeole & curatione.* Hal. M. 1725. & aliis. Nostris temporibus fere confectum est, ut vox Purpura *νερτ' εξην* sumatur pro Petechiis seu Febre Petechiali, quando vero de Miliari morbo intelligi debet, semper tunc eidem additur hæc vox, & Purpuram Miliarem nominant. Qui vero iterum Purpuram quasi Puram puram scilicet lucem, vel purum urentem puta ignem dictam volunt, utrumque ob nimium splendorem, quo intuentum oculos color hic afficit, aut ex Græco *Στὸ τὸ πυρίς*, quasi dicas πῦρις ob eandem rationem, vel qui Græcum nomen esse volunt, & πόριον Latina civitate donatam Purpuram nunc audire, hanc autem, sive quod Tyriis solebat magnum πόρον sive ab Ebræo *Parpar*, quod est frangere, frangebatur enim caufa succi ad colores concha, vocatam contendunt; contendant quamdiu libuerit, cum a scopo nostro hoc nimis alienum. Purpura vero Miliaris, *νερτ' εξην* quibusdam miliaris, febris miliaris, morbus miliarium, Purpura alba, Purpura Puerperarum, Febris Puerperarum miliaris, Febris vesicularis diverorum, quoniam efflorescentiæ in hac febre mox in vesiculos milii grana æquantes, elevantur, Amphimerina miliaris Cl. DE SAUVAGES *Nasoc. Method. T. II. P. I. Claff. II. p. 282.* Germanis audit *der Friesel*, vel a rustico & antiquo Germanorum *Friesen*, quo levem horrorem cum crispatura cutis & asperitudine designant, vel a panno aspero, villoso, nodofo, Germanis *Friesß*, cum exanthemata nostra asperitudine aliqua nodosa cutem foedent, cutis anserinæ deplumatæ ad instar. Qui vero illud dicunt *das Friesel* oder *Frasel*, minus accurate denominant, cum sub hac voce intelligi debeant potius insultus epileptici infantum, monente illud LINDNER *vom Friesel*, mox ab initio, nisi eam a terrore, quem ipsis saepe incutit ita magnum, ut in Epilepsia, appellatum velint; Gallis *le Millet*,

❧ ( 5 ) ❧

*lot, Maladie miliaire, la Miliaire, Pourpre blanc, Millet, Pourpre sur l'écorce quibusdam, qui vero tunc Petechias les Taches appellant, dicitur.*

§. II.

Morbum hunc plurimi praeunte WELSCH & SULZBERGER *historia medica nostrum istum puerparum morbum continens, qui ipsis der Friesel dicitur, Lips. 1655.* novum autem, anno 1652 Lipsiae primum notatum, quo jure paucis disquiramus. Fatendum equidem quae ad probandam ejus antiquitatem ex Veteribus allegantur loca obscura satis & ambigua esse, ita quidem, ut forsitan exinde solummodo colligi posset, eos jam talia exanthesma febribus supervenientia pro simplici symptomate, minime vero pro morbo idiopathicō habuisse, hinc minus quoque distincte & accurate ea descriptisse: fatendum & illud, eadem loca a nonnullis ad Petechias trahi, quae tamen utique ex nostra sententia melius de Purpura miliari explicantur. Pertractavit hanc materiam egregie SEIP. *Dissert. de Purpura morbo antiquo Gotting.* 1741. C. 2. qui non solum purpuram, quae nonnunquam petitoris inflammatorios morbos, in quibus sputa & tussis supprimuntur, solet excipere, HIPPOCRATI jam innotuisse ex Coac. Pranot. II. T. 1. p. 543. Edit. Lind. sed etiam puerparum, quando Epidem. L. II. C. 2. p. 692. T. 1. Ed. Lind. legitur: θνάτου ἡταν ἐνθύμαται ἀνὰ τὸ σῶμα πάντη ἔχει ἵπτει ἵπτασθαι θνάτους πάλιν δέρω. Quædam lactans pustulas per corpus ubique habebat, postquam autem lactare cessavit, sedatae sunt per astatem; credit: ut alia nunc HIPPOCRATIS loca, ubi vel τρυχομάλιν καρχαρίδεων vel ὡς ἵπτο παντόποιον ἀναθύματον μέλων, ἐξανθρακίλων μηρῶν καὶ ταχὺ πάλιν ἀφανίζομένων mentio fit, prætereamus. Missis quoque illorum sententiis, qui CELSO L. V. c. 28. eum memoratum credunt, per minimas pustulas, quibus cutis exasperatur.

exasperatur, & rubet uti FORESTUS l. c. aut qui eundem  
 Arabes non solum cognovisse, sed & neutiquam pro no-  
 vo habuisse, uti RIVERIUS *Praxi Med. L. XII.* statuunt;  
 imo qui cum NEUCRANZIO l. c. & ALLIONI *Tract. de  
 Miliarium Orig. &c. c. 11. p. 72.* AVICENNAM *L. IV.  
 fen. I. Tr. IV. c. 2.* sub nomine bothor subalbidæ & ru-  
 beæ quandoque velocis apparitionis & velocis occultationis,  
 ipsius meminisse crediderunt: potius statuanus  
 cum ALLIONI l.c. & DE HAEN *Theſ. de Febr. divif. no-  
 strum morbum jam 30. imo 70. & quod excurrit annis  
 ante WELSCHIUM apud SALIUM de Febre pestilenti descrip-  
 ptum occurrere, non morantes quoque, an RHASIS Al-  
 chiteba, vel fervidæ eruptiones, rubidae, cutis aspredi-  
 nes & pabulæ rubentes VIRGILII, aut ÆGINETÆ *in febris pulsa  
 VEGETII & APULEJI urigines*, quos HADRIANUS JU-  
 NIUS pro fynonymis Purpuræ agnoscit, aut PLINII pa-  
 bulæ rubefcentes & uredines, quas Boa appellavit, quam  
 rem tetigit LOCHNER *Misc. IV. C. Cent. VI. Obs. 96 p. 415.*  
 Rosalia porro Italorum a STORCHIO jam inter purpuræ  
 species relata, & secundum WERLHOFFIUM & CONRIN-  
 GIUM ab Arabibus jam descripta, sub nomine Rubeolarum  
 ab HALY ABBATE, secundum LANGIUM *Prax. Med. c. 13.  
 S. 9. Opp. T. II. p. 96.* hoc conveniat. Expressis vero  
 verbis & SALIUS l.c. c. 12. & 18. postque eum LAZ. RI-  
 VERIUS *Prax. Med. L. XVII. Sect. III. C. 1.* quando de  
 febribus pestilentialibus fermionem faciunt, exanthemati-  
 busque illis supervenientibus, eadem differre colore,  
 quoniam alia alba sint, flava alia, alia rubra, alia puni-  
 cea etiam aut nigra, distingui etiam magnitudine quibus-  
 dam millii semen vix æquantibus, aliis superantibus, ita  
 tamen, ut viciæ majoris magnitudinem raro excedant,  
 & cum pediculis non esse confundenda, cui hæ superfici-  
 ales magis, illa vero in vesiculos elevata, pustulasque ut-  
 plurimum lese desquamantes sub fine deprehendantur.  
 Et*

Et THUANUS quoque *Histor. P. I. L. XVII.* Febres tales purpuratas Florentiæ & vicinis locis per Italiam graffatas abunde descripsit. Plura adhuc, quæ Febris nostræ purpurata miliaris ante WELSCHII epocham, notitiam & existentiam demonstrant, possunt conferri ex ALLIONI & SEIP. *U. c.* & hæc de antiquitate Purpuræ sufficient.

## S. III.

Definimus Purpuram Miliarem, quod sit morbus exanthematicus modo cum febre, modo sine ea, cujus exanthemata sunt papulæ seu pustulæ cum ardore, pruritu punctorio & rubore gregatim in pectore præcipue & artibus prorumpentes, renitentes, parvitatem & asperitatem semen milii referentes, in vesiculas fese elevantes, subinde humoris aliquid inprimis sub tempus adultioris morbi continentes, subinde pellucidæ vel lacteæ, squammarum instar denique decidentes; febris vero, quæ conjungitur, modo catarrhalis benignæ typum refert, modo intermittentis in acutam continuam, inflammatoriam transeuntis, modo acutæ, malignæ faciem induit. Variorum Authorum vero vel vagas nimium, vel mancas definitiones nostri morbi mittimus, sunt interim, qui cum ALLIONI *l. c. c. 2.* afferunt, se nulla exanthemata miliaria vidisse, absque febre, quod tamen monente LUDWIGIO in COMM. de reb. in sc. nat. & med. gest. T. VIII. P. IV. p. 601. Saxonibus valde solenne deprehenditur, quoinde & illam speciem nomine Purpuræ chrohicæ & scorbuticæ appellandi apud eos invaluit consuetudo, quamque & admittunt HALLER & SWAINSTON. *Dissert. de Purpura Gotting. 1752. p. 3.* Illud interim non negandum, tales Purpuræ chronicæ & scorbuticas dari, maligna fatisse stipitas febre, quo refert DE SAUVAGES *l. c. Cl. III. p. 396.* miliarem nauticam, miliarem purpuratam seu febrem carcerum HUXHAMI, & huc quoque HOFFMANNI &

& COHENII casus de purpura scorbutica prægresso hæmorrhoidum fluxu nimio, Hal. M. 1732. referendus. Opposuit vero expresse idem DE SAUVAGES miliarem scorbuticam absque febre sæpius saltem evidenti se se manifestantem. Ea vero, quam de nostro morbo dedimus, definitio, & ipsius differentias ab aliis exanthematicis morbis satis sufficienterque demonstrat, & divisiones quasdam ejusdem quoque sistit.

## §. IV.

Dividunt morbum nostrum in benignum & malignum: in brevem & chronicum, quorum notio jam per se patet. Dividunt porro in rubrum & album. Rubrum faciunt exanthemata exigua, nihil fere humoris conspicui in se continentia, nodulorum instar emergentia, cutim asperam reddentia, & cum pruritu & punctionis sensu conjuncta, huc & pertinent ea, quæ paulatim humorem subalbidum concipiunt, de cetero cum prioribus convenient. Album sicut exiguæ vesiculæ humore subalbido ab initio statim plenæ, aut etiam limpidissimum laticem continent ab initio, hincque pellucidæ, mox magis opacato humore albas magis sistentes, peculiariter crystallinas vocatas. Hanc vero distinctionem in album & pellucidum minime convenientem credit ALLIONI L. c. cum observante HAMILTON de febr. mil. ea exanthemata nostri morbi, quæ ab initio pellucida fuerunt, alba sub fine evadunt. Vulgo quoque dicunt rubrum benignum esse & album malignum, contrarium vero sæpe observavit laudatus ALLIONI L. c. 3. Chronicus benignus morbus miliaris per plures menses, imo integros annos, sine magno incommodo solet gestari, Gallis talis vocatur ebullition de sang, Anglis a rash videtur cum Latinorum sudoribus aut Græcorum ιδρω̄ optime convenire. Aliam purpuræ miliaris distinctionem habet HAMILTON L. c. in simplicem

simplicem & complexam sive compositam, illam vocat  
 quoties nullæ aliæ erumpunt, præter miliaries, pustulæ;  
 hanc si & aliæ sub ipsa vel cum ea erumpunt, ut vario-  
 læ, petechiæ &c: hanc vero satis accuratam utilemque  
 in praxi divisionem, cur ALLIONI l.c. c. 3. subdividat in  
 simplicissimum, simplicem, & complicatum, primum di-  
 cens illum, in quo, si febrim excipias, absque ullo alio  
 morbo miliaria exanthemata adveniunt, simplicem vero,  
 in quo sub specie alterius morbi primam periodum per-  
 currit, quin alias revera morbus adjungatur, hic si ad-  
 sit, complicatus erit, non videmus; cum minime perspi-  
 ciamus, quomodo ex primi consideratione miliaris morbi  
 Natura magis eluceat, quam ex alterius, cum, ut ipse  
 quoque dicit, ejus limites non ita facile semper definiri  
 possint. Dividunt porro in epidemium & sporadicum, in  
 discretum & confluentem in complicato morbo præcipue  
 observandum, nec non in symptomaticum & idiopathicum,  
 quem quo jure hoc titulo insigniri mereatur se-  
 quentibus docebimus. Nos in nostra tractatione potissi-  
 muni ad eam divisionem attendemus, qua dividunt mor-  
 bum nostrum in simplicem & complicatum, illum dicen-  
 tes cum ALLIONI, si absque ullo alio morbo, excepta  
 febre, miliaria exanthemata adveniunt, hanc si aliis mor-  
 bis complicatur, adjungitur, aut etiam sub specie earum  
 solummodo ingruit, sive jam deinde subsistat per statum  
 morbus iste, sive evanescat, nec non ad benignam vel  
 malignam indolem maxime respiciemus. Sunt insuper  
 Auctores, qui Purpuræ nostræ adhuc alias species enu-  
 merant, ut Urticatam & Scarlatinam, quæ vero cum ne-  
 que pusilla exanthemata instar millii feminis referant, sed  
 latiora, imo in scarlatina cutis æqualiter rubore perfunda-  
 tur absque pustulis, nec desquamentur, minime huc  
 trahi possunt. Proprius huc spectant utique Rubeolæ VRA-  
 TISLAVIENSIMUM Hist. Morb. A. 1699. p. 18. quæ quoque

B latio-

latiorem quandam maculam efficiunt, attamen desquamantur, nec non benignior illa puerperarum Purpura a Germanis quibusdam das Gesâme vocata. Minime cum Se p. l. c. huic refero LANGIO *Prax. Med. C. XIII. §. 9. not. e. T. II.* Opp. p. 96. notatum exanthema infantibus rusticorum in Saxonia commune, quod den rothen Hund appellant, quod vero nihil aliud dicit esse, quam febrim scarlatinam,

## §. V.

Quo jure Morbus Miliaris dici possit idiopathicus, nostris temporibus mire controvertitur. Dixerat Cel. DE HAEN *Theſ. de Febr. div.* miliaria exanthemata frequenter mala arte progigni, sponte rarius, ratione & experientia suffultus, & in sua *Rat. Med.* passim probaverat; eadem minus esse symptoma naturale & characteristicum febris particularis, quam symptoma morbiſcum παραπλέως causatum in plurimis febribus ex abuso regiminis & remediorum calidiorum. Insurgerant hinc contra eundem statim plurimi, præcipue TISSOTUS peculiari libello *Lettre à Mr. HIRZEL sur quelques critiques de Mr. DE HAEN, par Mr. TISSOT p. 46. & seqq.* huic paulo acriori epistolæ, acriter quoque respondit DE HAEN *Lettre à un de ses amis au sujet de la lettre de Mr. TISSOT à Mr. HIRZEL §. 2. p. 29. & seqq.* quam iterum HAENII Collega & strenuus adversarius CRANZIUS eodem stylo refutare conatus est in *Lettre à Mr. TISSOT au sujet de la dispute avec Mr. DE HAEN.* Ambo vero hi celeberrimi Viri saltem in hac re HAENII prolata minus bene videntur intellexisse, quando illum propterea injurium in celeberrimos in arte Viros, qui in sua felicissima quoque Praxi, tamen frequenter Miliares observaverint febres accusant, cum sequeretur, eosdem fuisse maximos Miliarium exanthematum fabricatores, productores, minusque saniorum Medicinæ principiorum gnos. Novimus methodum illam, quam

quam ab initio & per sat longum tempus post adhuc adhibuerunt contra morbum nostrum epidemicē & malignē ingruentem satis calidam, tum ratione medicamentorum tum ratione diætæ: dicit ergo Cel. DE HAEN illud sollempmodo fieri saepius, ac saepius quidem, quam ordinario putatur, illudque propria & aliorum & Collegarum probat experientia in responfione ad litteras TISSOTI, & nonne saepè plus regimen calidum dependet ab adstantibus, quam a Medico ipso? apud quos saepè plus valet præjudicio quodam recepta consuetudo, quam facundissimi quoque Medici optima præcepta & monita, quale quid iidem hi Viri erunt experti, & in febre quadam acuta manifestissimam caußam productionis miliarium exanthematum fuisse refert LAUTTER *Hist. Medi biennalis morborum ruralium*, qui a verno tempore anno 1759. usque ad finem hyemis 1761. Laxemburgi & in vicinis undique Oppidis pagisque dominati sunt. Et si morbum idiopathicum dicimus, cuius causa in parte affecta ipsa hæreat, sive in qua symptomata fese manifestant, quique a nullo alio morbo prægresso dependet, tunc, quo jure morbum nostrum idiopathicum vellemus vocare non perspicimus, cum cauſa exanthematum non hæreat in cute, sed in sanguine, per cuius motum inde auctum febremque obortam demum ad cutem transfertur, cuius ergo secundum ILL. B. VAN SUITEN *Comment. ad BOERH. Aph. T. II. ad §. 689. & seqq.* sunt effectus potius quam causæ. Hanc sententiam forsan jam fovebat HIPPOCRATES, qui in Coac. Præn. dixit: *quibus in febribus continuis pusilæ per totum corpus erumpunt, lethale.* Imo videtur, Veteres in genere efflorescentias has cutaneas febribus supervenientes pro simplici symptomate effectuque febris majoris habuisse, hinc minus ad eas attendisse, nisi quatenus ejusdem vim & malignam in dolore magis declararent; certe enim alias illas quoque accuratius descripsissent. Et tem-

pus & modus, quibus nostra Febris grassare incepit, hæc  
et ulterius demonstrant. Apud Veteres enim vix una vel  
altera vice observata, post bellum tricennale, restituto per  
pacem Westphalicam commercio libero, indeque Lipsiam  
celebriorem quoque mercaturæ sedem introducta ingen-  
ti calidiorum aromatum copia, iisque cibis variis in ni-  
mia copia multis, & sic mutato fere subito vitæ genere,  
cum sub tempore belli tricennalis iisdem abstinere coacti  
fuerint, magna succis vitalibus accessit intemperies cali-  
da, potissimum in foeminis ceu tenerioris & laxioris tex-  
turæ vitæque sedentariæ deditis magis, quæ cum & debi-  
lioris animi tentationi facilius succumberent, gravidæ fa-  
ctæ gula perversoque appetitui magis indulgerent, puer-  
peræ illas præcipue a calido regimine natas, nisuque im-  
perfecto & erroneo quasi Naturæ, uti DE HÆM loquitur,  
epidemice inter se grassantes experiebantur, cui si addi-  
mus receptam tum temporis & in febribus acutis, nec  
non in Puerperio methodum medendi & diætæ regimen,  
qua calidiora quævis alexipharmacæ, bezoardica, the-  
riacalia exhibebant, aëris liberioris accessum cautissime  
avertebant, ægrosque stragulis & hypocautis calidiori-  
bus quasi suffocabant, non mirum, tunc morbum ma-  
jorem progressum fecisse, in vicinas quoque prorepisse,  
ubi corpora scorbutica ad hunc morbum suscipiendum jam  
apta reperiebat, & sic sensim Misniam totam, superio-  
rem & inferiorem Saxoniam, & ad Rhenum fitas Pro-  
vincias peragrasse, imo trans Mare in Angliam & Sueciam  
quoque transivisse. Nec mirum, postea sèpius epidemi-  
ce eundem morbum fuisse grassatum, cum etiam meliori  
licet cognita medendi methodo, tamen præsentibus in  
aëre vitæque regimine causis ejus productioni faventibus  
maligne ortus fuerit. Ejusdem vero sensim imminuta  
strages per cognitionem conveniens regimen diæticum  
& pharmaceuticum, & minor grassandi frequentia spem no-  
bis

bisfacit, nova ficut erat, sic tandem fore nullam amplius.

## S. VI.

Fuere multi Auctores, qui hunc morbum cum introducta Caffee mania, praeunte HOFFMANN M. R. S. L. c. nec non *Diff. de Purpuræ gemina origine*, prognatum a forbitione potus Coffee & Thee volunt, uti illud recensissime probare conatus est Reinhard Gedanken vom weissen Friesel-Fieber, p. 30. & slegg. ex partibus ejus constitutivis, in quam vero cogitationem jam ante HOFFMANNUM inciderat RIVINUS. Dicunt nempe tostione in fabis Caffee procreari oleum quoddam empyrevmaticum, cuius pars volatilior sulphurea nervos admodum infestat, motumque sanguinis & spirituum augeat, unde frequens post potum Caffee partium tremor, nec non evigilatio, unde oppressiones & anxietates pectoris, nec non cephalalgia, symptomata Purpuræ nostræ semper accidentia, sub motu vero aucto sanguinis copiosiorem quoque fluidorum fieri dissipationem nemo negabit, qua diutius protracta, remanentibus in sanguine particulis fixioribus, viscidis salinis terreis, stasis inflammatoria primo generatur, &, cum nervi infestantur, præcipue febris nervæ inflammatoria orietur, cuius generis nostram esse ex sequentibus probabile fiet. Quodsi vero hisce opponamus exempla tot hominum febre hac decumbentium, qui nunquam per vitam potu Caffee usi fuerunt, totque civitatum & regionum ab eodem haetenus plane immunium, quorunque magnum quoque numerum recenset ALLIONI sub finem Catalogi epidemiarum nostræ Febris, ubi tamen non minor quam in aliis, ubi morbus quasi viget, potus Caffee usus, haec facile concident. Imo potius secundum DESBERT *Observations sur la fievre miliare*. JOURNAL DE MEDECINE T. XIX. p. 135. in eo casu,

B 3

casu, ubi suppressa transpiratio malo nostro ortum forsan præbere posset, leni suo stimulo aromatico illam excitando, virtute inde quoque dependente antiseptica præservandi scopo inservire poterit; simul tamen & causa quædam<sup>1</sup> procataracta esse poterit nostræ Febris, ob eandem rationem in eodem casu nempe perspiratione aucta & iterum a refrigerio aut alia de causa repercussa secundum Auctorem Diarii Germanici der Arzt, T. III. p. 157.

## §. VII.

Graphice nostram febrim describit HEBENSTREIT *Patholog. metr.* §. 13. p. 55. quam vero descriptionem in *Carm. de horv. san.* & agrot. omisit:

*Sed tu, quam cecini, cum tristia fata mariti,  
Damna puerperii canerem, nunc, purpura, quamvis  
Dicta sat, non effugies; tua crimina newio,  
Nemo tuos raptus effrenatumque nocendi  
Instinctum facili describere carmine vellet,  
Obsequium bona verba negant, turpissima dictu  
Conveniunt, Te cantharidem pestemque vocasse  
Mite nimis dictu, Tu plus es pestibus ipsis.  
Omen inest titulo, vox purpura, sola, tremores  
Incudit & sacro percellit membra tremore.  
Te divina, novam, quam quondam Græcia nescit,  
Quam Latium, vindicta dedit, nosfrisque creavit  
Suppliciis lethale malum: Te fœda putredo  
Sanguine progeniuit spurco, Te letifer ignis  
Excoquit & parvam facie, discriminè magnam  
Perniciem cordis, vitalis visceris hostem,  
Intus alit, nihil est, papularum millia quando  
Per cutis antra riunt, nam spe frustratis imani  
Agrotos, Medicos, quorum tu risibus artes  
Excipis: interea duxi nos epidermide nata*

Plena

*Plena sero sperare jubet vesicula vitam.  
 Tu struis infidus & cæcis viscera flammis  
 Corripiſt & jugulum frangis miserabilis ægri,  
 Despit ille prius, moribundaque lumine fulgent  
 Labra tremunt, confusa ruunt e gutture verba,  
 Singulu diaphragma gemit, vomit, oscitat æger,  
 Et fluccos legit, & lecto subsistere nescit,  
 Palpat inane manus, mox frigilus ingruit horror,  
 Intereunt sensus, superas mens exit ad aura.*  
*Hanc ego mercedem de Te meruique feroque  
 Purpura, tale Tuo pretium das barbara vati  
 Te mea Te perit vita mibi dulcior ipsa,  
 Infelixque puerperium Te finit, uxor.  
 Tu mibi vix sposo, non promibus exiit annus,  
 Eripis hanc animam, tanti mercede laboris  
 Per te nunc careo.*

Ut vero eo melius signa morbi nostri diagnostica eruamus, probe attendendam esse ducimus divisionem ejusdem in simplicem & complicatum, benignum & malignum, haud ita, ut vulgo fieri solet, in album & rubrum, ob rationem iam supra ex ALLIONI allegatam. Benignus vero & simplex, si absque febre ingruit, cum alterno solummodo levi caloris & frigoris sensu ægros invadit, præcedunt eruptionem pustularum molestus potius quam dolorificus valde, gravativus capitis dolor, nec non leniter oppressorius pectoris, cum minoribus catharralibus nonnunquam symptomatis, coryza, tussi leniori, raucedine. Punctorum per totum corpus, præcipue vero circa pectus pruritum, eruptio pustularum milii semen vix adæquantum succedit cum sudore feetido, sub quo priora symptomata disparent, pustulæ sensim exsiccantur, deinde delquammantur aut disparent solummodo, mox reddituræ eodem modo, quando calore magis corpus fetetur. Hoc modo chronica benigna s. scorbutica utplurimum

rimum, aestivo preprimis tempore, cum rubris pustulis  
 ingruit, & saepius sine noxa recedit & revertitur. Sim-  
 plex vero febre conjunctus morbus noster prima die illam  
 experitur quam maxime lenem cum horripilationibus va-  
 gis & molestis, & in ipso aëtu saepius, sed incerto tem-  
 pore, observatis; symptoma peculiare huic morbo quasi  
 proprium secundum LUDWIGIUM *Inst. Med. Clin.* §. 213.  
 silentibus, in reliquis sanis simillimi ægri absque dolore,  
 debilitate & prostratione virium pulsus habent densum  
 duriusculum & aliquanto contractum, quem cum debili  
 hic minime confundendum esse contra plurimos Auctores  
 monet ALLIONI *L. c. c. 4. p. 38.* cum talis semper ex ita-  
 tu virium & compressione pulsus, qui duriusculus est,  
 judicari poterit. Præterea sudoris impetus illis est impor-  
 tunus. Circa alteram vero diem febris fortior, pulsus ce-  
 lerior, urina a statu naturali deflectens pallida, anxieta-  
 tes præcordiorum, singularis quædam circa scrobiculum  
 cordis strictura, & compressio cum frequentibus suspiriis,  
 metu & tristitia, fletu quoque nonunquam & lacrymis,  
 absque manifesta causa involuntariis, inquietudines, je-  
 digationes corporis, somnus interruptus, dolor aliquis  
 spasticus circa vertebrales lumborum ad spinam dorsi de-  
 scendens, cum stupore quodam extremitatum pungitivo  
 dolente, præcipue in digitis, aut etiam levioribus dolo-  
 ribus arthriticis, sudores assidui acidum corruptum olen-  
 tes specifici odoris, morbi incrementum annunciant. Ter-  
 tia, quarta vel quinta etiam die quamquam rarius, post  
 copiosos sudores olidos perpetualisque caloris & frigoris  
 alternationes cum dolore pungente instar acicolarum, &  
 pruriens in pectore & collo primum prorumpunt pustu-  
 lae renitentes miliares rubræ vel albæ, minutæ, deinde sen-  
 sim in dorso, abdome, extremitatibus juxta decursum  
 majorum vasorum, quoque partes magis tectæ minusque  
 æri expositæ fuerint externo, hinc minus in facie & ma-  
 nubus

nubus frequentes. Cito hæ pustulæ in vesiculas elevantur limpido sero plenas cum tumore & rubore cutis: maxima vero ex parte eruptione peracta, symptomata praedita mitigantur, aut plane disparent, febris vero & sudor subsistunt, quamvis minus intensi, urina magis sit colorata, septima plerumque jam morbi die, aut quarta post eruptionem exanthemata exsiccantur, & per squammas decidunt ea ratione, ut quæ primum in conspectum venerunt, primum iterum evanescant & abeant, febris cessat, & omnia ad naturalem statum iterum vergunt. Rarissime utique tam benigne hic morbus procedit; ut plurimum quoque vel post eruptionem pustularum febris intenditur cum symptomatibus praedictis, pulsus magis adhuc contractus & celer, urina copiosa & aquea emingitur, sudor supprimitur, agrypnia, cephalalgiae fortiores, deliria, comata ingruunt, pustulæ subsident, retrocedunt cum subsultibus tendinum, miris in lecto jectigationibus, symptomatibus convulsivis, ægri sarcinas colligunt, floccos legunt, fæces alvo, antea satis stricta, liquidæ, copiosæ, biliosæ, foetidissimæ dejiciuntur, etiam involuntarie. Hæc omnia tandem adveniente stertore, pulsuque deficiente, per suffocationem, mortem inducent, nisi post breve tempus sudor aliqualis iterum sepe manifestaverit, cum sublequentibus pustulis, quo enarrata symptomata sensim mitigantur, & ex parte disparent; hacque ratione morbus admodum varius, Protheo mutabilior, per statum saepius hanc tragœdiam ludere potest, ita ut, ægris per totum hoc tempus inter sacrum & saxum hærentibus, Medici quoque hæreant, nec ullam certam felicis eventus, etiam bonis ægri rebus, prognosin formare poterint. Hac ratione, nec non si pustulæ vel propter missam aliquam visciditatem, aut potius cutis rigiditatem ægre, minus copiose, tardius nonnunquam

C

pro-

prorumpunt; morbus ad 14 & ultra dies protrahitur,  
ita ut vix intra tres septimanas finiatur.

### S. VIII.

Complicatus morbus præter symptomata, morbo cum quo complicatur, propria, ab initio statim quædam prædictorum habet juncta, præcipue sensum illum in digitis stuporis pungitive dolentis, nec non horripilationes vagas. Morbi vero, sub quorum facie nonnunquam ingruit, cum sudoribus olidis solvuntur, & sub eruptione pustularum iterum disparent, tuncque simplicem Febrem Miliarem iterum sistunt, vel post eruptionem quoque persistunt, & tunc ut plurimum pejoris omnis & malignae indolis esse solent, quoniam adjuncti morbi effecta adeo sunt pertinacia, ut sola expulsione miliarium exanthematicum nequaquam solvi queant, aut varie permixti utraramque actionem turbant, & anomalam faciunt. Complicatur autem cum omnibus fere morbis ex obstruktione & inflammatione vasorum sanguiferorum ortis aut lymphaticorum, nec non ex convulsione. Et hinc sub specie rheumatismi sæpiissime, variii generis convulsiorum, morborum catarrhalium, inflammatoriorum peritoris Pleuritidis & Peripneumoniæ, unde quoque speciem Peripneumoniæ exanthematicam statuit SAUVAGES I. c. p. 502. anginodeorum etiam, febrium putridarum exanthematicarum aliarum, variolofarum, petechialium, morbillosarum, nec non febrium intermittentium invadit, illisque jungitur. Semper admodum periculose sunt hæ Miliares Febres complicatae, cum ut plurimum pejora & fortiora symptomata habeant eos concomititia, majorem malignitatem indicentia, præcipue quando aliis morbis exanthematicis junguntur, nec non intermittentibus. Præterquam enim, quod in his ultimis horroris tempore pustulæ facile retrocedant, ut illud observarunt

varunt BEROLINENSES ACT. MED. Dec. 11. Vol. 7.  
 p. 102. in quartana, & in tertiana simplici ALLIONI L.c.  
 §. 107. increcentibus symptomatibus lethalibus ægri  
 hinc citissime pereant; intermittentes tales utplurimum  
 malignarum sunt radices, & facile in eas transeunt, nec  
 non malignæ quoque semper aliquid intermittentis ha-  
 bent, ut illud notaverunt RÖDERER & WAGLER de *Morbo*  
*mucoso Sect.* 1. §. 6. Gotting. 1762. Malignæ vero præ-  
 cipue indolis observantur epidemicæ, in quibus pulsus de-  
 bilis & exiguus, insignis virium corporis & animi pro-  
 stratio absque manifesta causa, utplurimum quoque abs-  
 que plethora, concurrent, cum urinis variis, modo tur-  
 bidis, modo aqueis. Frequentissime & sub hac facie fere  
 primum inguebat cum Puerperio connexus, nostrorū  
 morbus & tunc cum febre lactea solito vehementiore  
 corripit ægras adjunctis symptomatibus, §. præced. enar-  
 ratis, lochiis interim parcus fluentibus, ino plane quo-  
 que suppressis, unde uteri aliqua inflammatio oritur; lac  
 ii sub his circumstantiis simul parum fluxerit, & alvus  
 liquida iisdem observetur, nec non dolor uteri pertinax  
 sub continuis anxietatibus & deliriis cum stertore convul-  
 sivo moriuntur. In morbo hoc complicato nonnunquam  
 contingit, ut pustulæ in majores vesiculas confluant,  
 quod Germani appellant die grosse Frieselblasen. Nonne  
 hinc forsan Pemphygos a SAUVAGES L.c. p. 382. a Purpura  
 alba differre male pronunciatur. Illud interim & de  
 nostro Morbo notandum, eundem interdum pluries suc-  
 cessive prorumpere, & tres quatuorve vicibus haud in-  
 terrupta serie infestare, qualem agram nobis fistit SCHÄ-  
 CHER & STEINFELD, febre acuta exanthematica quinques  
 serie non interrupta invasionem Lips. 1723. cui tandem va-  
 riolæ quoque succedebant. Nonnunquam quoque in  
 Epidemia Petechial loco Petechiarum Purpura alba pro-  
 rumpit, uti id monent observatores: nonnunquam quo-

que ejus eruptione alios morbos solutos & curatos fuisse  
iidem testantur, ut sternutationem, pertinax delirium  
melancholicum, singularem immodicum risum, involun-  
tarium, convulsivum in virgine, viro juveni nupta, nocte  
a celebratis nuptiis media ACT. HELVET. Vol. I. p. 47.  
qualia exempla ex suis Auctoribus allegat ALLIONI l.c.  
c. 5. qui ipse apoplexiam cum apparente erysipelate fa-  
ciei partis, quaerebat resoluto lateri, solutam vidit.

## S. IX.

Sanguis in hac febre vena secta missus plerumque pau-  
co fero & gelatina concreta constat, post eruptionem,  
aut etiam mox ante eandem prægressis copiosis sudoribus  
fere absque fero coccineus est, observante ALLIONI l.c.  
quod idem & STOERCK deprehendit in morbis acutis pe-  
ctoris, quibus miliaria alba solebant supervenire Annis  
1759. & 1760. Ann. med. II. rarissime vero dissolutus,  
crusta leui variegata inflammatoria obductus. Post mor-  
tem quoque in thalamis cordis & majoribus vasis Purpura  
alba enectorum multos sanguinis grumos invenit HOFF-  
MANN M. R. S. l.c. In genere præter vasa venosa summe  
turgida, sanguine distenta, maxime capitis, nihil quod ve-  
ram mortis caussam indigitare potuisset reperuerunt BE-  
ROLINENSES Act. Med. Dec. 1. Vol. 2. p. 75. & 76. nec  
nisi in morbo complicato viscus aliquod peculiariter in-  
fectum deprehendere Observatores, uti uterum in puer-  
pera morbo hoc defuncta aliquo loco inflammatum, &  
pulmones in febribus inflammatoriis pectoris, quibus jun-  
gebatur miliaris, demortuorum cadaveribus STOERCK l.c.  
Cadavera cito quoque ad putrefactionem ruunt, uti fere  
in omnibus febribus acutis inflammatoriis malignis, teste  
foetore intolerabili & intumescentia eorundem cito mor-  
tem excipiente, inde & naribus saepe sanguis & ore exi-  
lit cum vehementia, uti illud observavit in puerperis hoc  
morbo

morbo defunctis & aliis HALLER *L. c. L. VI. Sect. I. §. 43.* p. 222. aut saltem spuma circum os observatur, manifesta resolutionis putredinosæ indicia. Cur nemo fere Observatorum viscera interna, uti in aliis morbis exanthematicis acutioribus, pustulis aut maculis obfessa invenit, nisi BEROLINENSIMUM *L. c. gangrænulas* *huc referre velis?*

## §. X.

Hactenus enarrata symptomata & phænomena nostræ febris, caussam proximam ejusdem arguunt, seri sanguinisque peculiarem quandam acrimoniam, nervis præcipue, infectam. Credidit HOFFMANNUS se rem acu tetigisse, dum *L. c. M. R. S.* in rubra serum acre falino sulphureum alcalescens volatilius, in alba lympham acidō vappidam fixioreni coagulantem accusat, haud suis destitutus fundamentis, minus vero solidis, si exactius phænomena morbi rimamur, ac ab initio apparere potuissent. Hanc HOFFMANNI hypothesin plurimi recentiorum ita inverterunt, ut in rubra magis lympham acidō vappidam, in alba serum acre falino sulphureum enarratas tragœdias ludere statuerint. BRUNNERUS *Misc. N. C. Dec. III. a. 7. & 8. obs. 206.* p. 344. fluidi nervei sobolem in vesiculas seu hydrides collectam & visibilem factam credit, quæ sententia Anglis plurimis haud ita displicet, quin potius tales morbos vocent *febres nerveas*, cum tamen HUXHAM *essay on fevers c. 6. & de aëre & morb. epid. P. I. p. 148. sqq.* adhuc magnam differentiam inter easdem occurrere statuat. Quodsi aliquid hujus vellemus assumere, ita hanc sententiam moderandam saltem censemus, ut humor acris, qui sanguini ineſt, corque ad frequentiores ictus stimulat, sub hoc motu ad cutis colatoria delatus, ibi ejusdem nervulos peculiari sensu afficiat, unde stupor ille pungitivus præcipue in digitis, ubi copiosiores quoque nervæ papillæ; his vero affectis reliqui per consensum afficien-

tur, unde mira illa symptomata systematis nervosi morbo affecti, præcipue quando materia exanthematica retropellitur; cumque acre hoc irritans massam sanguineam ita labefactet, ejusque mixtionem turbet, ut ea, quæ ad corporis functionem requiruntur, ægre suppeditare posse videatur, cor licet magis irritatum debilius se contrahit, unde forsitan quoque pulsus contractior aut debilior. Et ideo ALLIONI *L. c. c. 14.* quoque mortis in hoc morbo caussam soli nervorum, præcipue papillarum, puncturæ tribuit, neque febris vehementia, neque cutis inflammationi, quum plures etiam animadverterit ægros sine vehementi febre absque insigni cutis inflammatione, reliquis quoque bonis ægri rebus, solum ex depresso pastulis citissime decessisse. Quomodo autem nervi afficiantur, ut mira illa symptomata convulsiva oriantur inde, idem ignorat.

### §. XI.

Hoc vero acre miasma tenuissimæ, mobilissimæ, stimulantis, putridæ, alcalescentis naturæ si credamus, non fallividemus. Maximam illi tenacitatem & mobilitatem vimque stimulantem tribuit ALLIONI *L. c. c. 13.* & arguit facillima retrocessio & iterum cita apparentia, miraque convulsiva symptomata, & hinc veneno comparat, illi quidem in hydrophobia simili, a similibus, quæ utroque morbo accidere solent, symptomatibus citoque cadaveribus hydrophobia enectorum inducta putredine, eo tantum cum discriminé, quod in hydrophobia sanguis magis ad certa quædam loca determinetur & retineatur ibidem, in nostro vero morbo lympha: analogum quoque putat illi mytulorum, a quorum esu similia ac in febre miliarie oriuntur symptomata, quin & vesiculae notante MOEHRINGIO *A. N. C. Vol. VII. p. 113. App.* Cum vero hæc venena citam cadaveribus inducant putredinem, cum progre-

progressus morbi & plurima ejus symptomata eandem jam in vivo homine arguant, quid obstat, quo minus hoc miasma quoque putridæ indolis statuamus, dissolutoriæ, alcalescentis, sive jam hujus dissolutionis signa sese adhuc in vita manifestent, sive sub eruptione, sive post mortem demum. Nec nobis regerat aliquis putridum sanguinem minime posse esse congramatum, densa, tenaci crusta inflammatoria obductum, qualem in nostra febre observarunt Auctores: per Spiritum Salis Ammoniaci sanguinem in massam tenacem cogi testis est Cl. de HAEN *Rat. Med.* *P. I.* p. 112. & in genere pseudodoxiam epidemicam a salibus nempe lixiviosis sanguinem liquefieri, ejusqueruborem augeri, per sua & aliorum experimenta refutavit HALLER *El. Phys. T. II. L. V. S. II.* p. 79. & seqq. & MORGAGNIUS *de sed. & caus. morb.* *L. IV.* Ep. 49. Art. 22. & seqq. proprio neque in sanguinis dissolutione, neque in ejus coagulatione vim miasmatum aut malignitatis haerere ostendit, cum utraque unius eidemque morbo soleat conjungi. Qui porro perpendit, per sudores tam copiosos in nostro morbo fluidam sanguinis partem nimis expelli, non amplius grumos sanguinis in nostra febre demortuis deprehensos, mirabitur; qui quoque acidum corruptum olentes illos cogitat sudores, facile quoque in eam sententiam incidere poterit, ac si expulsa per fermentantem quasi febrem maxima ex parte, sub specie corundem, acida, corrupta nostrorum humorum indole, in massa sanguinea putredo nascatur, sub qua partes volatiliores saline alcalinæ ad cutem elevantur, ascendunt, ibi vesiculas, pustulasque facientes. Putrefactare vero in febre humores HALLER & HOFFMANN *de gener. sal. morbor.* probatum iverunt, & HUXHAM veros sales alcalinos inde produci credit. An nosfer morbus affinitatem habet quandam cum illo mucoso, de quo ROEDER *I. c.* qui forsan idem est cum Febre catarrhalis glutinofa

nosa STOECKII *Ann. Med.* II, p. 58. ? Arguant symptoma catarrhalia, affinitas cum illis morbis, cum quibus & mucosus, ut sunt intermittentes, malignæ, inflammatoriae, petechizantes. Quod in epidemia petechiali loco Petechiarum exanthemata miliaria alba erumpant, forsan illius ab altero differentiam monstrat, in nostro nimirum morbo serum & lympham magis corruptam, in Petechiis sanguinem hoc modo corruptum accusandum venire, quod magis adhuc probatur per convenientiam methodi medendi, causarum ambos producentium, subjecta, ratione quarum, illa, quæ sunt habitus laxioris, humidioris, a nostro magis, strictioris vero & calidioris magis ab illa, infestantur.

### §. XII.

Quomodo per abusum rerum sex non naturalium sanguini vel ejus sero possit conciliari putredo, nemo, qui vel primis labris medicinæ elementa gustavit, ignorat. Solus motus muscularum & exercitium corporis nimium, victus mere carneus, fames & inedia diu tolerata, abusus salium volatilium, vapor de aqua sentinæ putridus, calor nimius æris præsertim humidioris, venti ardentes orientis, ær conclave, quos hominum nimia turba replevit, præsertim si iidem homines morbo vel maligno epidemicò vel contagioso laborant, uti nosodochiorum ær, quem præcipuum quandam caussam edite a nostro morbo stragis & inter Medicos nostrates experti sunt Argentoratenses annis 1734. & 1735. cf. Exp. SALZMANN *Historia purpuræ miliaris albæ &c. Argent.* 1736. nec non ær aliunde putridis vaporibus inquinatus, qualem ut plurimum quoque in epidemias observare solent, medicamenta quædam, ut Mercurius, Opium, venenorum animalium morsus, morbi ipsi, febres aliæ, nec non chtonici, ut phthisis, rhachitis, scorbutus, & quæ non alia,

alia, Observatorum fideli testimonio illam corporibus evi-  
denter induxerunt: hinc scorbutica, cachectica, laxio-  
ris habitus, nec non biliosi choleric temperamenti Sub-  
iecta, morbo huic præ reliquis fuscipiendo apta. In puer-  
peris lautior per graviditatis tempus vietus, ille præcipue,  
qui ex farinaceis glutinosis cum ovis & butyro paratur,  
abusus potus calidi, alvus obstructa vel flegmoris, evacua-  
tiones vel sanguinis vel primarum viarum, sub his præci-  
pue circumstantiis, neglectæ, post partum secundinarum  
vel totalis vel partialis retentio, lochiorum paucior flu-  
xus vel plenaria suppresio, nec non lactis repressio, ca-  
lor nimius conclave, fortiora aromatica, spirituosa,  
calefacientia, cardiaco & roborandi scopo concessa ipsis,  
aut plane contrarium rusticarum quarundam puerpera-  
rum regimen refrigerans, repellens, quo nempe eadem  
defenduntur sollicite a calore extrinseco, intrinsecum,  
uti opinantur, accidente, hincque extremos pedes non  
nisi nudos, frigido aëri expositos, aut stanneas patinas,  
aut æreas pateras inversas plantis pedum admovendas,  
iisdem suadent obstetrices & adstantes, quod vero regi-  
men talia exanthemata produxisse, observarunt BEROLI-  
NENSES ACT. MED. Vol. V. Dec. II. p. 30. vehementio-  
res animi affectus, ira præcipue & tristitia, huic malo sae-  
pe ansam commodam præbent. Quomodo vero ex per-  
verso regimine diætetico & pharmaceutico ex morbis fe-  
brilibus licet fortioribus tamen benignis tales ut plurimum  
malignæ febres orientur HOFFMANN & DU FAY de mali-  
gnitatis natura & origine in morbis acutis. HAL. M. 1695.  
nec non IDEM & ZWEIGEL de conversione morbi benigni  
in malignum, sive generatione veneni in corpore per impe-  
ritiam Medici ibid. 1701. §. 7. & seqq. monstraverunt,  
ut alia Ejusdem circa hæc loca præteream.

## §. XIII.

Prognosis nostri morbi uti in omnibus morbis acutis ex sententia Hippocratis jam fallax, sic in hoc ob mutabilem suum admodum genium incerta quam maxime. Benigna vero & simplex minori aut forsan plane nulla stipata febre, molesta magis quam periculosa. In genere autem Medicus in dijudicanda Purpura magis respiciat symptomata, quæ eam comitantur, quam colores & alias externas pustularum proprietates ex mente LUDWIGII l.c. §. 218. cum per alium ipsis adjunctum morbum tales febres noceant potissimum atque interficiant, imo sœpe ab ipso oriuntur ac conseruentur monente MORGAGNI l.c. L.V. Ep. LXVIII. T. II. p. 441. Supra monuimus, rubram ut plurimum dici benignam melioris quoque ominis cenferi, alba cuius inferior margo rubet; pellucidam vero aquosam, lacteam seu crystallinam malii ominis fere semper haberi, copiosiorem quoque lentius prorumpentem, & confluentem pessimam: bene vero LUDWIG l.c. credit, nihil in his universale esse, cum habitus corporis, methodus medendi perversa, regimen neglectum & epidemica constitutio, exanthemata nonnunquam immutent. Quo magis vero morbus noster complicatur, eo periculosior, præcipue si cum aliis acutis aut exanthematicis præcipue petechiis, morbillis, variolis (quod ultimum periculissimum morbi complicati genus ALLIONI credit) jungitur, quia, ut HOFFMANNUS M.P.S. T. II. C. II. §. 29. Schol. videtur, succi excrementiti ex ipsa sanguinis febris dissolutione, geniti, atque ob cohibitum diutius alvum in intestinorum latebris occlusi, in humorum massam postlimino recipiuntur, & hæc pessimæ sane indolis exanthemata cum febrili insultu suscitant. Qui prægressum aliquem morbum, sub cuius facie fœse nonnunquam noster manifestare solet, passi fuerint, magis periclitantur

tantur quam ii, qui solummodo propter laxiorem habitum aut aliam quandam imbecillitatem eo corripiuntur, & hinc foeminae facilius evadunt quam viri. Pulsus post eruptionem naturali magis accedens, mollior, amplior, nulla accedente retrocessione, cito in salutem finiturum morbum indicat; si vero post eandem adhuc contrahitur, acceleratur ac tenditur citam retrocessionem cum symptomatibus convulsivis indicat, praecipue si & urina, quae in hoc morbo quavis die bis saltet inspici debet, antea flava magis vel rubra, alba nunc iterum appetet. Augent periculum parvitas, depressio, inaequalitas & intermissio pulsus cum urina acri stimulante. Quo citius aut tardius tertio vel quarto die erumpunt pustulae, eo periculosior morbus, aut saltet eo magis in longitudinem protrahitur, quoque copiosiores sunt & minutæ, (quae etiam utplurimum pejoris ominis esse solent) eo promptior, si retrocesserint, mors. Earum vero copiam arguit stupor ille pungitivus in digitis longius subsistens, frequentia ejusdem & sensatio in plurimis locis. Sudores & alvus quo magis diffusus, eo periculosiores, praecipue si pulsus contractior simul adfuerit, miliarium vero miasma concoctionem fere nullam patitur. Urinæ morbum non judicant, nec alvus, quam tamen fluere post eruptionem cum moderamine bonum nonnunquam; parotides & salivatio eundem nonnisi rarissime solvunt, & haemorrhagia narium utplurimum lethalis. Symptomata graviora post eruptionem etiam copiofan remanentia valde timenda, praecipue si frequens mingendi stimulus, urina copiosa, aquea aut lactea quasi fuerit. In puerperis vero non tam ipsa exanthemata, quam lochiorum suppressio reformidanda ALLIONI; his in fine morbi supervenientes tumores articulorum vagos cum doloribus acutis & habitu cutis splendente, absque tamen edemate, ab urinis, crassis, turbidis (bourbeuses) solutos & dissipatos

D 2

vidit

vidit BONTÉ *Rec. Period. T. VI.* p. 34. Hoc ipso veritatem Aphorismorum HIPPOCRATIS probans, quando dicit: *Lassatis per febres ad articulos abscessus sunt: ab abscessu ad articulos liberat urina multa crassa alba prodiens.*

## §. XIV.

In curatione Medicus ad majus vel minus morbi periculum attendat. Cum in leviori purpura chronica seu scorbutica nulla ut plurimum febris, aut saltem minus considerabilis adsit, absorbentia, temperantia, diluentia, lenia laxantia, juscula refrigerantia medicata ex plantis antiscorbuticis, aquæ medicatæ leviores, martiales, lacti maritatae, cum diæta paullo accuratiore ratione rerum sex non naturalium omnem fere paginam absolvunt, observato simul quod, si plethora urserit, venæfæctio extra paroxysmum in usum trahi debeat. In simplici vero febre, fortiori stipato morbo nostro Medicus videat primo, an primariam febrem solvere & profligare possit, simulque eruptionem hanc cutaneam arte sua præpedire, quod si non poterit efficere, saltem illud obtinebit, ut præparata & correcta aliqualiter materia putrida acri, ejus per cutem excretio sub blanda diaphoresi facilitetur, hinc nihil aliud ipsi restabit, quam eandem convenienter conservare, simulque symptomata exinde pendentia convulsiva & stricturas relaxare & profligare.

## §. XV.

In simplici ergo cum febre acuta ingruente hanc potissimum respiciat Medicus, & cruditates primarum viarum evacuet, plethoram imminuat, acrimoniam humorum & inde pendentes spasmos & obstructions temperet, corrigat, relaxet, referat. Primum scopum vel vomitoria vel lenia implebunt purgantia; illa praesentibus indicantibus, præcipue si ventriculum admodum prægravatum

tum hario lamur sub fortiori licet febre, præmissa venæfctione poterunt in usum vocari : hæc vero vel mitiori existente febre, vel remittente, resolutis & relaxatis aliquo modo spasmis & obstructionibus, optimum præstabunt effectum ; sint interim Lenora, Serum lactis tamarindinatum, Cassiata, Mannata, Salia digestiva, quamvis cautiis cum his mercandum. Secundum scopum adimplies Venæfctio, quæ toties, quoties necessitas illam efflagitaverit absque metu poterit institui. Satisfacunt interini tertio scopo diluentia, relaxantia, demulcentia, emollientia, resolventia, antiphlogistica, subacida. Quod si vero per hæc calor febrilis non satis cito poterit debellari, hinc manifestibus sece signis evoluti a calore febrili miasmatis miliaris, peculiares aliquæ regulæ circa prædicta erunt observandæ. Vomitoria aut lenia laxantia nunc si antea omissa fuerint, pro ratione circumstantiarum magis hæc vel illa, indicantur, ad imminuendam & eliminandam aliquo modo miliarem materiam ; commode in usum ducuntur & laxantia, quæ, contra vulgarem sententiam, ex felicissimis Anglorum observationibus ex GENTLEMAN'S MAGAZINE Vol. XXV. LUDWIGIUS commendat Comm. de reb. in sc. nat. & med. gest. T. V. P. IV. p. 687. Vomitoria vero DESBERT dans le JOURNAL DE MEDEC. I. c. Vomitoria quidem præcipue eo in casu, ubi præsente febre fortiori etiam æger bene se habere credit, nec de suo periculo aliquid sentit promptissimum remedium, præcipue si una jam vel altera venæfctio fuerit præmissa, a qua ulteriori instituenda abstinentia præcipiunt omnes Observatores, nisi urgentia adfuerint satis symptomata: quo minori enim copia misfus fuerit sanguis, eo tutius ut plurimum finiri morbum, deficientibus enim extremis diebus viribus, pustulæ facile retrocedunt, & æger moritur, MEAD Mon. & præmed. p. 14. auctor est. Tertio vero scopo, quæ inserviunt

unt remediis, scopo nunc quoque antisепtico egregie ad-  
di poterunt lenia aromatica, stimulantia acidis mixta,  
principue si debilitas & prostratio virium concurrunt, ubi  
simil tanquam cardiaca inserviunt. A fortioribus vero  
nunc resolventibus abstinentum, cum sanguis jam ma-  
xime ad dissolutionem pronus sit. Hinc opita prescri-  
bere in primis præcipit TRALLE de *Opio* Sect. II. §. 25.  
p. 182. qui & ipse a solo opii usu exanthemata purpura-  
cea nasci observavit, & apud FREIND in *Emmen.* & *HEC-*  
*QUETUM* inventit *ibid.* Sect. I. §. 22. p. 137. Cum præter-  
ea sudorem & insensibilem transpirationem tantopere au-  
geat, nec non febrium crises & coctiones turbet, & ex  
hoc capite maxime erit contraindicatum opium in nostro  
morbo, ubi jam sudore quasi corpus difficit. Pulvis Car-  
thusianorum hinc & Sulphur auratum Antimonii melius  
quoque exulare jubentur, aut saltem parcissime & con-  
veniente vehiculo oleoso exhibentur, Galli vocant *potion*  
*huilense avec le Kermes.* Camphorata sola huic scopo suf-  
ficient, cum & his aliæ indicationes implentur, & inter  
antiphlogistica Nitrum parciore dosi quoque sit exhibi-  
endum.

## §. XVI.

Quando hoc modo primaria febris per sudores & urinas  
non solvit, signa econtra evoluti miasmatis subsistunt,  
imo augentur, & graviora exinde dependentia symptomata,  
tunc excretio miasmatis per suas efflorescentias cutaneas,  
promovenda, juvanda & ad maturitatem perducenda est.  
Si signa futuræ eruptionis ergo sece manifestaverint, ab  
omnibus evacuationibus abstinentum: quam male enim  
vel sub ipsa eruptione, vel post eandem talia adhibeantur,  
quoniam ad omnia alvi irritationem facile retroce-  
dunt exanthemata, docet HOFFMANN *M. R. S. T. II.* S.  
27. p. 255. Dantur interim casus, ubi absolute indican-  
tur,

tur, quamvis rariores, vomitoria, si sub hoc tempore adhuc symptomata urgentia adfuerint, nausea nempe, vomitus biliosi, amarities oris, lingua squalida, uti BONTE *Recueil Periodique T. VI.* p. 39. Ex eo forsan, quod ad omnem alvi irritationem facile retrocedant exanthema-ta, diarrhoeisque, quas supervenientes ipsis nonnunquam viderunt funestas, præconcepta illa apud nonnullos & Medicos invaluit opinio, ut in hisce mōrbis alvum solli-cite clausam servent, siue diarrhoea supervenerit, statim illam medicamentis sistant: quam male vero talis mate-ria retineatur ex HOFFMANNI *Il. cc.* hinc inde patet, qui quoque hinc alvum nec nimis strictam, nec nimis laxam esse debere inculcat; imo diarrhoea nonnunquam hoc tempore superveniens biliosa ea absolute indicat, ex mente ALLIONI; quid quod, prostrent exempla, ubi enematibus levioribus emollientibus, etiam contra Medici consilium injeclis, eruptio tam felix successit, ut ægra quædam ta-lis mortis inde fauibus fuerit erupta, quales alios quo-que casus TREWIO communicavit, in epidemia miliaria a. 1735. sibi observatas felicissimus olim hic loci Practicus Exp. b. d. D.D. LINDERN, quos deinde prior in COMMERC. LITTERAR. NORIC. a. 1735. *hebd. VIII.* p. 58. publici juris fecit; imo jam supra quoque ex ALLIONI alvum sub hac secunda periodo fluere bonum prædicavimus. Circa Venæctionem item tenendum, quod §. præced. monui-mus, & quidem ob rationem ex MEADIO allegatam hoc tempore ab ea abstinentum; reliqua vero, quæ suafimus medicamenta diluentia, relaxantia, resolventia, anti-phlogistica, lenia aromatica acidis mixta egregie quoque nunc convenient; inter quæ ultima primarium quoque locum obtinet Cortex Chinæ Chinæ, cuius et si obscurus sit verus agendi modus, vires tamen in quibusdam pernici-osis febribus abigendis experientia comprobavit; nec salubri ejusdem efficaciam repugnat materia, quæ aut ad cutem, aut ad

*ad articulos ejici e sanguine cæpta sit, inde autem introrsum vi frigoris repulsa, MORGAGNIUS l. c. Ep. LXVIII. ait. Acida vero hic potius vegetabilia, quam illa ex minerali regno, quæ fortius coagulant sanguinisque motum nimium uno impetu compescunt, nonnullis placent. Utraque vero non nimia dosi, partitis vicibus aut multa aqua diluta propinanda,*

## §. XVII.

Rarissime tam benigne morbus hic ad finem suum tendit, quin non Medico alia quoque facienda forent, quibus novis, quæ sæpiissime obveniunt, symptomatibus satiſfaciendum, supra jam innuimus. Sæpiissime enim circulatio per cutanea vasa difficultis ex magna inflammatio-*nē*, aut nervorum contractione, lympham ad pustulas effor-*mandas* necessariam subtrahit, & calore cutis pustulæ ex-*arescunt* & subsident; vel sanguis minori, quam par est, vi, ad memorata cutanea vasa appellens, aut causa quælibet externa in contractionem adducens, lymphatica vasa, ut frigus aut terror, Misc. N. C. Dec. II. a. IX. Obs. 18. pustulas retrocedere faciunt, unde mira & gravissima symptomata promptissimum nunc Medici requiriunt consilium, ni ægrotantes subitæ morti tradere velimus. Frictiones cum panno aspero, fatus, potiuncula quædam diaphoretica efficacior, leni aromatico & acido maritata, potio calidiuscula præsentaneum quasi sæpius exhibit remedium. Quodsi vero symptomata exinde nata convulsiva, impetusque humorum versus caput fortiora diutius ægrum teneant, suadent plurimi aut venæficationes, aut cucurbitulas cum scarificatione aut vesicatoria. Evacuationes sanguinis aliquando revera utiles extitisse legimus, convulsiones etiam sedando; plurimum vero nihilominus ægrī interierunt, uti de venæficatione exem-

exemplum prostat ACT. MED. BEROLIN. Dec. I. Vol. IX.  
 p. 20. & de cœcubitalis ALLIONI fatetur. Vesicantia hic  
 præ aliis convenient, & præ aliis eximium præstant usum,  
 præcipue si fibrarum vis torpeat, aut affectus soporosi con-  
 currant, unde ea scapulis apponere suadet HAMILTON  
*l. c.* SYDENHAM Sched. mon. de nov. febr. ingress. & HOFF-  
 MANN *l. c.* sub tarda quoque eruptione suris cum fructu  
 apponi scribunt, cum & humorem serosum impurum  
 subtrahant. Si hac methodo, incertis semper ægri rebus,  
 pustulæ ad excissionem pervenerint, symptomata omnia  
 mitigata fuerint, tunc misericordia reliquiæ & impuritates  
 aliæ in corpore adhuc restitantes per unum alterumve  
 laxans minorativum eliminandæ, continuato semper ad-  
 huc leniorum aromaticorum cum acidis mistorum, præ-  
 cipue Corticis usu, donec febre profligata, paulo lauac-  
 diæ subacida concedi poterit, aut aquarum mineralium  
 cum lacte & rusticationis usus ad refocillandas vires. Ju-  
 scula quoque medicata, refrigerantia ex plantis præcipue  
 antiscorbutic's egregie se gerunt. MEAD *l. c.* præterea  
 suadet, inclinato jam febris miliaris morbo ad reliquias  
 pustularum foras evocandas balneo tepido lavari, & in  
 eo casu, ubi vesiculæ exiguae, pellucidæ innumeræ ap-  
 parent, consistente jam morbo, quæ vim solvendi febrem  
 non habent, sed longam & difficilem ægritudinem indi-  
 care solent, lenioribus alvum ducere, nondum intermis-  
 so vesicatoriorum usu. Prædicta vero per tempus adhuc  
 continuanda, quoniam nonnulla alia symptomata post  
 gravem decubitum remanent, ut difficilis aut facilis nimis  
 sudatio, alia pustularum genera, memoria infirmitas,  
 nervorum sensilitas nimia, hinc in terrorem, timorem,  
 iram proclivitas, rheumatismus, aut alia symptomata  
 morbi convulsiva, quæ iultum recidivæ metum, cui hic  
 morbus quam maxime quoque obnoxius, cum ægroti  
 una vice illo correpti facile altera quoque vice, imo plus

ries interim corripiuntur eodem, qualem ALLIONI refert virginem, intra sex annos undecim vicibus eodem laborantem, donec hisce profligatis perfecte sanus haberi possit. Purpuram insequentem leucophlegmatiam lactis sulphuris tunc, & si hoc non sufficiebat, Cortice profligavit TREV COMMERCI. LITTER. NORIC. hebdom. XL. pag. 350. Conveniunt hic quoque balnea pro rerum circumstantia, modo tepida, modo frigida, potus supra laudati, motus, fatus, exercitia lenia corporis, rusticatio, victus refocilans, lautior, putredini resistens.

## §. XVIII.

Morbum complicatum remediis, quæ ad primarium faciunt morbum, per sudores solvere tentant Medici, ut tamen semper ad miliarium miasma, quid postulet, respiciant quoque. Hinc in eo, qui cum rheumatismo ingruit, & erysipelate liberalius paulo venam secant, præcipue si caput obfideat, vix credibile enim ait ALLIONI, quantus tunc sanguinis fiat impetus, cum præcipue in hoc casu nonnunquam haemorrhagia narium cum ægri utilitate repetit. Evacuantia hic convenient, quando morbus primarius per sudores copiosos incipit solvi, & tunc per convenientem methodum supra memoratam miliarium miasma adhuc ex corpore poterit expelli absque pustularum eruptione, quæ vero si apparuerint, ut in simplici erunt tractandæ. Si vero ab initio arthritis & podagra vexaverint, ob lendum morbi progressum & materia viscibilitatem sanguinis missio parca sit: diluentia vero & attenuantia hic quam maxime convenient, quibus, materia magis mobili redita, lenia evacuantia subjungi possunt. Si aliis morbis inflammatoriis pectoris jungitur, larga manu mittendus sanguis ad citam inflammationis resolutionem tentandam, ubi tamen præpropera miliarium

rium eruptio simul præcavenda. Hic maxime prudentem judicamus Medicum, qui ex attenta probe miasmatis copia, sanguinis & reliquorum humorum densitate, nec non ægri constitutione, ubi nam periculi summa consistit, perspicit. Emollientibus ergo quoque, diluentibus, lenientibus, mirioribus acidis, antiphlogisticis succurrat inflammationi & miasmatis correctioni, evacuantia tum demum hic adhibens, quando pulmones jam magis liberos, sudores copiosos, sputa decolorata observaverit Medicus. In intermittentibus putridis aut aliis exanthematicis, quibus jungitur miliaris morbus, cum talis utplurimum epidemicus aut malignus sit, illud LUCRETII proba attendat:

in rebus materiei

*Intervalla, viæ, connexus, pondera, plагæ,  
Concursus, motus, ordo, positusque figure  
Cum permuntantur, mutari res quoque debent.*

hinc ratione epidemiaci ipsius genium percontetur, siamque methodum adornet. Illam vero in malignis talibus in genere optimam credimus, quam ex Celeb. HAENIO in debellandis iisdem optimam deprædicaverat amicissimus RAVENSTEIN de Febr. Petech. Argent. 1764. §. 13. & sgg. præcipue quoque ratione Corticis, quo primo usum fuisse in febribus malignis Chirurgum Monspeliensem RESTAURAND in Diario Germanico der Arzt T. VI. p. 78. legitur, cuius vero, cur in hisce febribus usum sub finem solummodo restringant aliqui, uti DIONIS & THIERRY DE BUSSY Ergo in febribus malignis sub finem Chinæ Chinæ curis 1764. non video: neque enim duntaxat quod febrile est; sed & illud, quod non est, etiamst absque manifesta febre sit, quamquam tunc non fere semper, abigit Cortex. dummodo periodice id recurrat: utique utinam hinc omnes febres

febres malignæ & epidemicæ essent & periodica ait MOR-  
 GAGNI l. c. Plurima itaque Celeberrimorum Virorum  
 observata ejus statim ab initio in hisce febribus felicem  
 usum comprobarunt, uti sunt HAENII, HUXHAMI, SWIE-  
 TENII, SYDENHAM, aliorumque; quid quod intermit-  
 tentem præcipue eo statim profigandam moneat ALLIO-  
 NI, præsertim si subtiterit, propterea quod sub horroris  
 tempore exanthemata semper retrocedant. Frequentissime  
 hic morbus puerperio junctus, peculiarem quoque con-  
 siderationem meretur. Mirum hic, neque BOERHAVIUM,  
 neque ejus Illustrēm Commentatorem B. VAN SWITEN  
 novo suo *Comment T. IV.* quando de morbis acutis  
 puerarum, a lochiis retentis, lacte retrocesso, aut  
 secundinis restantibus ortis, sermonem instituerunt, ne  
 nominetenus quidem hujus symptomatis meminisse, for-  
 san ut inde indicent Medicum prudentem earum præci-  
 pue expulsionem cita, prudenti & convenienti adhibita  
 methodo præpedire nosse debere, nec curanda sympto-  
 mata proinde, ac si essent morbi acuti sui generis BOER-  
 HAVE *Aph. 1333.* expressè innuit. Omnes vero in eo con-  
 veniunt, non tam febrem ipsam attendendam esse, quam  
 caussam eam producentem: *Cuncta enim hæc eradicantur sponte, radice mali excisa* ait BOERHAVE *Aph. 1331.*  
 Hinc in lochiorum suppressione eorum revocationem tentant  
 cum aperientibus specificis lenissimis ex moderate  
 cardiacis & uterinis & venæficationem haud facile, nisi  
 summa urgente necessitate, suadent; partium exteriorum  
 frictiones, fôtus ad regionem uteri, quibus & dolor &  
 inflammatio ejusdem præaventur, sedantur, quoque  
 hunc in finem præscribunt, nec non clysteres emollientes.  
 Secundinæ vero restitantes matu educendæ, grumi-  
 que sanguinis si possunt, aut per injectiones aquæ cali-  
 dæ ad modum RECOLIN *Mem. de l'Acad. Roy. de Chir.*  
*T. III. p. 202.* eluendi, de cætero ea, quæ in simplici  
 præ-

præscripta fuit, methodus commode poterit adhiberi.  
Et hanc viam sibi egregie successisse BONTE Recueil Pé-  
riodique l. c. memorat.

## §. XIX.

Coronidis loco quadam de linteorum mutatione,  
nec non de specificis quibusdam sermonem faciemus.  
Sunt, qui ob facilem pustularum subsidentiam linteas &  
indusia mutari nolunt, cum tamen ob spurcitem ægrotis  
sepe admodum fiant molesta. Credimus, si debitissim  
cum cautelis instituatur hæc mutatio, si nempe non sint  
calida nimis nec frigida, quæ vel exsiccant vel repellunt,  
si non plane recentia, talia, quibus sanus jam incubuit,  
tunc facile posse concedi, præcipue ante eruptionem,  
ubi sudores copiosi viscidii, olidi, illa nimis conspurcant,  
cum ex talibus conspurcatis linteis eadem damna in hisce  
morbis oriri viderint, ac a mutatis, imo potius a muta-  
tione eorundem melius habuisse ægros & STOERCK &  
HAEN & HASENOEHL II. cc; poterunt insuper leniter fu-  
migari, & sub citissima injectione æger semper moueri,  
fricari, ne transpiratio impediatur, unde & sub earum  
injectione follicite aëris liberioris accessus arceri debet,  
qui tamen secundum eosdem hos Viros de cætero posset  
concedi, dummodo non sit frigidiusculus aut humidus,  
vel conclave aut cubicula perflare possit. De Specificis  
contra hunc morbum fuere, qui quæsiverunt. Narrat  
ALLIONI, "fuisse quendam WAGNERUM, Medicum Lu-  
"becensem, qui pulverem quendam præcipue ad febres ta-  
"les Puerarum mali moris a lochiorum fluxu imminu-  
"to specificum deprædicarat propria Epistola, de cuius  
"tamen virtute probata testimonia non novit." Suspica-  
tus interim est GMELIN in Diff. de Febr. miliar. Tubing.  
1752. p. 31. primarium ejus ingrediens esse Mercurium  
dulcem, cum ex tali pulvere saluberrimos ipse conspe-  
xerit effectus, etiam cum a retrocessione pustularum me-


tueret. Hinc quoque nec non quod tantam convenientiam habeat miliare miasma cum veneno morsus canis rabi, quærerit idem ALLIONI, an non Mercurii dulcis, cuius in curanda hydrophobia præstantissimæ felicissimorum Practicorum docent observationes efficaciam, magnam in hoc quoque morbo utilitatem liceat augurari, aut etiam Mercurii sublimati corrollivi methodo SWIETENIANA administrati. Optima tamen interim adhuc prædicat acida vegetabilia, non ita corticem, quem miliarium miasma neutquam infringere vidit, nimius forsan in hoc, cum ex tota Anglorum classe nec non Batavorum nullum fere habeamus, qui ejus in putridis, malignis febris, ad quarum classem & nostra pertinet, debellandis, efficaciam non summis laudibus & felicissima experientia comprobaverit, quorum ex parte plurimi Celeberrimi Medici Galli, Germani, Itali quoque, nec non alii nunc stant. Præservativum optimum erit conveniens circa res non naturales regimen observatum, aër purior & serenior, victus euchymus & potus nonnimiris spirituosus aut foeculentus, subacidus uterque, moderata circa animi pathemata, somnum & vigilias, motum & quietem, excretorum & retentorum præcipue alvi & sudoris, diæta, in gravidis quoque non neglecta una vel altera evacuatione primarum viarum, nec non sanguinis. Hac ratione nec non convenienti nunc magis recepta medendi methodo, nostris temporibus jam quoque minus est frequens, ac olim erat hic morbus, & tandem

*Sic Te mala bestia perdat*

*Munificum Numen, Te doctæ diruat artis  
Consilium clademque tuam certissima curen  
Pharmaca, ne viduus post minc quicunque maritus  
Te faciente, cubet lecho, sed inermia mittas  
Tela procul, sterilesque minos & fulmen inane  
Disjicias, nova sicut eras, sic nulla superfis.*

T A N T U M!





Straßburg, Med.-Diss., 9. Gott-  
geyser

ULB Halle  
005 359 899

3







Q. D. B. V.

DE

# PURPURA MILIARI

CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

## PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI

SOLENNITER DISSERET

JOHANNES GEORGIUS GUNTHER  
SIEGENA NASSOICUS

AD D. *XVII. Aug.* A. MDCCCLXIV.

H. L. Q. C.

Omen ineft titulo, vox, purpura, sola, tremores  
Incutit & sacro percellit membra tremore.

HEBENSTREIT Patbol. metr. §. 13. v. 222.

ARGENTORATI  
EX OFFICINA UNIVERSITATIS HEITZIANA.